

<https://www.thelatinlibrary.com/ter.adel.html>

MI. Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram 719

DE. Sed eccum ipsum. te iam dudum quaero, Micio.

MI. Quidnam? **DE.** Fero alia flagitia ad te ingentia

boni illius adulescentis. **MI.** Ecce autem **DE.** Noua

capitalia. **MI.** Ohe iam! **DE.** Nescis qui uir sit. **MI.** Scio.

DE. O stulte, tu de psaltria me somnias

agere: hoc peccatum in uirginemst ciuem. **MI.** Scio. 725

DE. Eho, scis et patere? **MI.** Quid ni patiar? **DE.** Dic mihi,

non clamas? non insanis? **MI.** Non. **DE.** Malim quidem.

puer natust. **MI.** Di bene uortant! **DE.** Virgo nihil habet.

MI. Audiui. **DE.** Et ducenda indotatast. **MI.** Scilicet.

DE. Quid nunc futurumst? **MI.** Id enim quod res ipsa fert: 730

illinc huc transferetur uirgo. **DE.** O Iuppiter,

istocin pacto oportet? **MI.** Quid faciam amplius?

DE. Quid facias? si non eapse re tibi istuc dolet,

simulare certe. est hominis. **MI.** Quin iam uirginem

despondi, res compositast, fiunt nuptiae, 735

dempsi metum omnem: haec magis sunt hominis. **DE.** Ceterum

placet tibi factum, Micio? **MI.** Non, si queam

mutare. nunc quom non queo, aequo animo fero. 738